



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

1 Vtrum castitas sit virtus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

lenter oppressis. ergo uidetur qd A
castitas non sit uirtus.
¶ 3 Præter. Nulla uirtus est in infidelibus; sed aliqui infideles sunt casti. non ergo castitas est uirtus.
¶ 4 Præter. Fructus à uirtutibus distinguitur; sed castitas inter fructus ponitur. ut patet ad Galat. 5. ergo castitas non est uirtus.

SED CONTRA est. qd Aug. dicit in lib. de decem chordis. * Cū debeas in uirtute pcedere uxorem. quoniam castitas est uirtus. tu sub uno impetu libidinis cadis. & uis uxorem tuam esse uirtutem.

RESPON. Dicendum. quod nomen castitatis sumit ex hoc. quod per rationem concupiscentia castigatur. quæ ad modum pueri est refræanda. ut patet p Philo. in 3. Ethic. * In hoc autem ratio uirtutis humanæ consistit. qd sit aliquid secundum rationem modificatum. ut ex supradictis patet: * unde manifestum est. castitatem esse uirtutem.

AD PRIMVM ergo dicendum. quod castitas consistit quod in anima. sicut in subiecto. sed materiam habet in corpore. Pertinet enim ad castitatem. ut secundum iudicium rationis. & electionem uoluntatis. alijs moderatè utatur corporalib. membris.

AD II. dicendum. quod sicut Aug. dicit in 1. de ciuita. Dei. * Proposito animi permanente. per quod etiam corpus sanctificari meruit. nec ipsi corpori aufert sanctitatem uiolentia libidinis alienæ. quam seruat perseverantia continentie sue. Et ibidem dicit. * quod est uirtus animi. quæ comitè habet fortitudinem. quæ potius quælibet mala tolerare. quàm malo consentire decreuit.

AD III. dicendum. quod sicut Aug. dicit in 4. contra Iulianum. * Abfit. ut sit in aliquo uera uirtus. nisi fuerit iustus. Abfit autem ut sit iustus uerè. nisi uiuat ex fide. Et ideo concludit. quod in infidelibus neque est uerè castitas. neque aliqua alia uirtus. quia scilicet non referuntur ad debitum finem. & sicut ibidem subdit. Non officijs. id est actib. sed finibus à uirtijs discernuntur uirtutes.

AD IIII. dicendum. quod castitas. in quantum est quidem secundum rationem operans. habet rationem uirtutis: in quantum autem habet delectationem in suo actu. connumeratur inter fructus.

ARTICVLVS II.

Virtus castitas sit uirtus generalis.

AD SECVDVM sic proceditur. Videtur. quod castitas sit uirtus generalis. Dicit enim Aug. in lib. de mendacio. * qd castitas animi est ordinatus animi motus non subdens maiora minoribus: sed hoc pertinet ad quamlibet uirtutem. ergo castitas est generalis uirtus.

¶ 2 Præterea. Nomen castitatis à castigatione sumitur: sed quilibet motus appetitiuæ partis debet castigari à ratione. cum ergo per quamlibet uirtutem moralem refrænetur aliquis appetitiuus motus. uidetur quod quælibet uirtus moralis sit castitas.

¶ 3 Præterea. Castitati fornicatio opponitur: sed fornicatio uidetur ad omne genus peccati pertinere. dicitur enim in Psalm. 72. Perdes omnes qui fornicantur abs te. ergo castitas est generalis uirtus.

SED CONTRA est. quod Macrobius * ponit eam partem temperantiæ.

RESPON. Dicendum. quod nomen castitatis dupliciter accipitur. Vno modo. proprie. & sic est specialis uirtus habens specialem materiam. scilicet concupiscentias delectabilium. quæ sunt in ueneris. Alio modo. nomen castitatis accipitur metaphorice. Sicut enim in corporis comminatione consistit delectatio uenerorum. circa quam proprie est castitas. & oppositum uitium. scilicet luxuria: ita etiam in quadam spiritali coniunctione mentis ad res aliquas consistit quadam delectatio. circa quam est quadam spiritalis castitas metaphorice dicta. uel etiam spiritalis fornicatio hominis similiter metaphorice dicta. Si enim mens hominis delectetur in spiritali coniunctione ad id. cui debet coniungi. scilicet ad Deum. & abstinere se. ne delectabiliter alijs coniungatur contra debitum diuini ordinis. dicitur castitas spiritalis. secundum illud 2 ad Corinth. 11. Despondi uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Si autem delectabiliter contra debitum diuini ordinis coniungatur mens quibuscunque alijs rebus. dicitur fornicatio spiritalis. secundum illud Hierem. 3. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: & hoc modo accipiendo castitatem. castitas est generalis uirtus. quia per quamlibet uirtutem retrahitur mens humana ne rebus illicitis delectabiliter coniungatur. Principaliter tamen ratio huius castitatis consistit in charitate. & alijs uirtutibus theologis. quibus mens hominis coniungitur Deo.

AD PRIMVM ergo dicendum. quod ratio illa procedit de castitate metaphorice dicta. *

AD SECVDVM dicendum. quod sicut supra dictum est. * concupiscentia delectabilis maxime assimilatur puero. eo quod appetitus delectabilis est nobis connaturalis. & præcipue delectabilium secundum tactum. quæ ordinantur ad conseruationem nature; & inde est. quod si nutriatur horum delectabilium concupiscentia per hoc. qd ei consentiatur. maxime augebitur. sicut puer. qui suæ uoluntati relinquitur. Et sic concupiscentia horum delectabilium maxime indiget castigari: & ideo

Secunda Secundæ S. Thomæ. YY 2 circa

Stabilis est nobis scilicet naturalis & Na. thor i principio istius responsionis refert se ad supradicta. Cōstat autem quod superius in q. 142. ar. 2. ubi ex proposito similitudo inter puerum. & intemperatū tractata est. non habetur ista ratio. quæ hic assignatur. Falsum est ergo quod hic dicitur. Supra dictum est.

Ad hoc dicitur dupliciter. Primò. qd ly supra dictum est. nō refertur ad rationē similitudinis. sed ad ipsam ipsam similitudinem. Nam superius dictū est. quod appetitus delectabilis maxime assimilatur puero. sed ratio subiuncta est noua. Secundo dicitur. qd utriusque superius dictum est. sed diuersimodè. quia similitudo explicata satis est. Ratio uerò similitudinis infinuata est & in secunda. & in tertia similitudinis conuenientia. f. in euentu augmenti. & in indigentia remedij castigatiui. Nam quia est nobis connaturalis. ideo maxime augetur delectabilis appetitus sibi derelictus. Et similiter. quia connaturalis est nobis. ideo castigatio ne eget. ne indomitè effertur.

Li. 1. in som. Scipionis. in fol. 2. ante med. libri.

In corp. art. Ar. præcc. q. 142. art. 2.